

Virtus intellectualis. Quae perfectiva est intellectus sive speculativi sive practici, utpote ad recte iudicandum; ut sapientia, scientia, ars.

Virtutes cardinales. Cardinales vocantur quatuor virtutes, nempe: prudentia, fortitudo, iustitia, temperantia, quibus caeterae omnes adhaerent tanquam toti partes. Cardinales vocantur, prudentia quidem, quia caeterarum fundamentum est, caeterae vero, quia summum virtutis gradum in aliqua particulari materia attingunt.

Prudentia est virtus intellectus, qua in quovis occurrente negotio, quid honestum, quid pravum, et facile dignoscimus.

Fortitudo est virtus quae motus animi in rebus maxime terribilibus suscipiendis vel repellendis moderatur.

Iustitia in generali quadam significatione, est omnium collectio virtutum. In significatione propria, est constans et perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi.

Temperantia est virtus quae appetitum moderatur in eis quae maxime alliciunt, cujusmodi sunt delectationes gustus et tactus.

CONCUPISCENTIA. Vehementior appetitus sensitivi actus, voluntatem inclinans ad bonum sensile prosequendum, aut sensile malum fugiendum. Dividitur in antecedentem et consequentem.

Concupiscentia antecedens est involuntarius motus appetitus sensitivi praeveniens ipsam rationem, et consequenter ipsam voluntatem, et attrahens inclinans et trahens in ipsum objectum passionis concupiscibilis.